





1543.

n

EXAMEN  
PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM  
Dissertationis Cujusdam 1713, 5<sup>o</sup>  
Hallensis  
DE  
CONCUBINATU,

PRÆSIDE

4.

VIRO MAGNIFICO

DN. JOH. VVOLFGANGO JÄGERO,  
SS. Theol. Doctore & Profesore Primario, Ducis Wür-  
tembergici Consiliario Gravissimo, Universitatis Tubingensis  
Cancellario & Ecclesiae Præposito  
Dignissimo &c.

*Defensum a Respondente*

M. JOANNE ANDREA GRAMMICHIO,  
Stuttgart.

---

T U B I N G A E,

---

Literis JOH. CUNRADI REISI,

---

Anno M D CC XIII.

1544.

HISTORICHE  
THEOLOGISCHE  
DISCUSSIONES  
HISTORICO-CRITICAL  
DE  
CONCILIANTIA  
PRAE-SALAZAR

IN. H. V. A. V. M. D. L. G. E. C. O.

22. TYPUS. DE BONIS & HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

ET. PROPOSITIO CONCILIANTIA. ET. HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

23. TYPUS. DE BONIS & HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

ET. PROPOSITIO CONCILIANTIA. ET. HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

24. TYPUS. DE BONIS & HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

ET. PROPOSITIO CONCILIANTIA. ET. HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

25. TYPUS. DE BONIS & HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

ET. PROPOSITIO CONCILIANTIA. ET. HISTORICO-THOLOGICO-DISSERTATIONE

**E**gregium est illud illustris Thomasi, afferentis<sup>1</sup>, intentionem  
fuisse sibi in Institutionibus suis, sine respectu personarum in  
nudam veritatem inquirere, & cum sententiis<sup>2</sup>, non cum homi-  
nibus pugnare; conf. *Diss. Proœm. Instit. Jurisprud. Div.*  
§. XXII. pag. 19. Quemadmodum enim in veritatis studio nihil ma-  
gis impedimento esse potest, quam prejudicia: ita præsertim magni-  
rum virorum auctoritas supersticiosus suspecta multos jam retinuit,  
quo minus in sententiarum veritates penetrare, easque potuerint as-  
sequi. E contrario autem, comprobante id experientia, is felix in in-  
venienda veritate semper fuit, qui, clausis quasi oculis corporis, men-  
tis aciem non nisi ad contemplationem sordam nudam veritatis direxit,  
& ita cum sententiis pugnam ingressus est, non cum hominibus; per-  
inde tere, ac apud Athenienses olim in foro litium cognitio ventilati-  
o que solebat institui. Atque uti hæc laudabilis intentio fuit *Thoma-*  
*sii*, ipso edicente, in Institutionibus de divina Jurisprudentia: sic ea-  
dem & mea erit in hac Disputatione de Moralitate Concubinatus. In  
ea nimurum sine respectu personarum, concubinatum de Jure licitum  
esse afferendum, in nudam veritatem Moralitatis ejusdem inquirere  
animus est, eoque cum sententia pugnare, non cum hominibus, quos  
pro eo, ac par est, veneror atque amo. Id quod dum facturus  
sum, eo minus me culpatum aut exagitatum iri confido, quo magis id,  
quod ipse facit, in aliis quoque adprobat, *magi vir nominis, Thomasius*,  
gaudens quippe de hoc seculo, cum plerique jam cupidi sint ma-  
gis id examinandi, quid dicatur, quam quis dicat, quæ verba illius  
sunt in Fundam. *Jur. Nat. & Gent. cap. Proœm. §. IV. pag. 4.*

§. II.

Ante vero, quam ipsam tractationem nostram de Moralitate  
Concubinatus auspiciemur, Concubinatus paulo diligentius distingui  
debet, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Obser-  
vamus autem Concubinatum quendam verum ac ratum esse con-  
jugium, quod maritali affectione, sobolis procreandæ causa, in  
perpetuum, cum una contrahitur, et si effectibus quibusdam juris  
civilis

A

civilis propriis privetur, aut etiam effectus quosdam naturales impedimenta legis civilis amittat; conf. Grotius de Jur. Bell. ac Pac. Lib. II. cap. V. §. XV. n. 1. 2. & ad eum Zieglerus in Animadvers. in Lib. II. cap. V. §. XV. p. 282. At vero aliis est Concubinatus, qui fuga matrimonii, incontinentiae causa, contrahitur pacto mutuae fidei, sed eo dissolubili, & sine affectione maritali, eo fine, ut quis interim cum aliqua inhonestata foemina concubere, & libidinem explore queat; conf. Baclerus in Hug. Grot. Lib. II. cap. V. §. XV. pag. 172. & Viriarius in Inst. Jur. Nat. & Gent. cap. V. Quest. XXII. pag. 129. Denique recentior quidam Scriptor per Concubinatum intelligit coniunctionem quandam domesticam auctiorem, eamque pro lubitu dissolubilem, sine affectu maritali, cum foemina, ejusmodi præsertim, quæ justa uxor esse poterat, ad evitatem scortationis, non exclusa tamen omni intentione procreanda, sobolis vid. Disp. Christ. Thomasii de Concubinatu §. III. p. 6. §. IIX. pag. 19. lit. b. §. IX. pag. 20. & alibi passim coll. cum Dissert. Theol. Breithaupti de Concub. prohibito §. II. pag. 3. & seqq. Atque hi fere significatus sunt Concubinatus, solicite distinguendi, ne inde oriatur in disputando quedam confusio. Ad Tertium autem & ultimum quod attinet, de eo in præfensi nos sumus solicii, ut ejus Moralitatem scrutemur.

## §. III.

Scrutari itaque Moralitatem Concubinatus, in tertia significazione accepti, ad principia tum sanæ rationis, tum Sacra Scriptura, tanquam ad lapides Lydios, exigemus præcipias ejus essentialesque qualitates, easque ejusmodi esse demonstrabimus, quæ intrinsece malam Moralitatem importent, ut inde ad oculum cuivis pateat, talem Concubinatum in se & sua natura juri divino adverlari, eoque malum esse, nec umquam fuisse in foro divino licitum, sed inde a primis humani generis initii ad hæc usque tempora semper prohibatum. Eadem fere instituti sui rationem habuit vir eruditio non minus quam pietatis gloria ubique celebrerimus, Breithaupt, in elegantissima Dissertatione de Concubinatu a Christo & Apostolis prohibito, uti id videre est §. III. pag. 4. & §. V. pag. 8. Perinde ac malam Moralitatem Concubinatus ex præcipuis ejusdem qualitatibus ex Hocrum quoque ordine doctissimus Zieglerus edisserit, qui, in eo, inquit, quod Concubinatus a maritali longius absit adfectu, nec per-

perpetuum vitæ consortium querat, non poterit verum legitimū  
que esse aut dici matrimonium; vid. *Animadvers. Ziegleris in Grot.*  
*Lib. II. cap. V. §. XV. pag. 202.*

## §. IV.

Quod si jam primum ad principia *sane rationis*, sive, quod idem est, ad legi naturalis dictamine examinamus hunc Concubinatum, multiplicitate profecto dispalest *cet mala illius Moralitas*, ut *frustra dixerit Auctōr Dissert. de Concubin. jure naturali* Concubinatum unius cum una licitum esse atque *indifferentem*, conf. ad §. XVII. lit. d. pag. 34. Nam Lex naturæ non permittit, sed gravissime potius prohibet omnem eam conjunctionem maris cum foemina, quæ non instituta est ad regulas legitimi matrimonii, quod quippe unum ad propagationem generis humani ita ordinatum est a Deo, ut præter illud alia quæpiam societas nuptialis admitti sine *vicio* non possit, prout id ipsum edisserit præter alias quoque celeberrimus *Thomasius in Instit. Iprud. Div. Lib. III. cap. II. §. 82. pag. m. 453.* Si quis jam, hoc *præsupposito*, in requisita matrimonii cuiusdam legitimi ex dictamine legis naturalis inquisiverit, is profecto mecum deprehendet, Concubinatum, de quo in præsens, adeo cum iis non convenire, ut eisdem potius in singulis suis qualitatibus & diametro sit oppositus. Legitimum enim matrimonium, ad regulas legis naturalis initum, oportet, ut sit *perpetuum, coniunctum, cum affectione maritali, & intendens primario procreationem* sobolis, veluti id nos docet *Zieglerus ad Grot. Lib. II. c. V. §. XV. pag. 292.* & *Haberus in Jure Civit. Lib. II. Seçt. I. c. III. §. 3. seqq.* Concubinus autem, quemadmodum Auctōr Dissert. eum describit, non est perpetua quædam uxoris cum marito cohabitatio, sed ea facile, imo, pro libitu dissolubilis, conf. §. III. p. 6. §. VII. pag. 18. 19. non sibi coniunctam habet *affectionem maritalē*, sed eam penitus excludit, vid. §. IX. pag. 20. non primario intendit procreationem sobolis, sed saltē evitacionem scortationis, sub qua latet libidinis expletio, non tamen impediens prolis generationem, vid. §. XXVI. lit. a. p. 51. coll. §. III. pag. 6. §. X. pag. 21. coll. Thomasii Instit. Iprud. Div. LL. cc. §. 168. seqq. pag. 470. Annon itaque verum id est, quod dixi, e diametro sibi invicem opponi Concubinatum ejusmodi, & legitimū ex dictamine legis naturalis matrimonium?

Quod cum ita sit, dispaleat inde, quod ab initio monui, malum esse hunc Concubinatum, legique naturali plane adversari, eoque prohibitum esse, cum non legitimum matrimonium sit, nisi individua viri ac mulieris conjunctio. At vero dixerit fortasse quispiam, frustra id haec tenus a nobis sumi pro certo atque indubitato, quasi vero haec requista essent matrimonii vi legis naturalis, ut illud sit perpetuum, ut habeat semper sibi coniunctum affectionem maritalem, ut primario intendat procreationem sobolis. Ita utique excipere videatur *Auctor* *Dissert.* de *Concubin.* ad §. III. pag. 7. idque ex principiis Excellentissimi DNI. Praesidis sui, qui in *Institutionibus* statuit ad essentialiam matrimonii, secundum legem naturae, non requiri maxime, ut illud sit perpetuum; conf. *Lib.* III. cap. II. §. 102. seqq. pag. 456. quæ etiam repetit in *Fundam.* J. N. & G. *Lib.* III. cap. II. §. 17. pag. 177. Unde & DNS. *Thomassius* existimat in Concubinatu vitium ex rationis dictamine demonstrari non posse, vid. *Ipr. Div.* *Lib.* III. c. II. §. 169. Quapropter ut assertioni nostræ eo magis sua constet firmitas, id jam nunc agemus, ut rationibus firmis atque validis evincamus, vi legis naturalis omne legitimum matrimonium oportere esse perpetuum, coniunctum cum affectione maritali & intendens primario sobolis procreationem.

## §. V.

Quod omne matrimonium secundum legis naturalis dictamina esse debeat primo perpetuum, probatu est facile ex multis rationibus, quarum potissima ex fine matrimonii nobis desumi posse videtur. Si enim fines cujusque societatis particulares ipsi isti societati suam formam dant atque essentialiam, consequitur inde, quod ad societatis conjugalis essentialiam non tantum requiratur qualiscunque ad tempus cum vita consuetudine conjunctio, cum finis matrimonii non solum sit procreatio sobolis, uti *Auctor* *Dissert.* de *Concubin.* ad §. 3. lit. b. pag. 7. tradit, sed & educatio, & utraque quidem honesta & decora, secundum placita Excellentiss. Praesidis in *Fundam.* J. N. & G. *Lib.* III. cap. II. §. 17. pag. 177. ad quem finem obtinendum non nisi matrimonium perpetuum & ad dies vita initum, sufficerit. Qui enim, quoque, ab eo erit honesta procreatio sobolis, qui per divortiorum licentiam modo hanc modo illam in totum adsciscit, & pro luctitu suo iterum inde ejicit, ut ita pluribus promiseue ductis uxoribus corpus suum

1549.

5

*suum prostituat, perinde ac id cernere licet in brutis animantibus, quid? quod ipsa procreatio sobolis hoc modo impeditur, quod saltem in iis videre est, qui ante initium legitimum matrimonium cum pluribus rem habuere. Unde & Minos divortia permisissi legitur, ne multitudine liberorum laboraret respublica, teste Aristotele II. Polit. cap. VIII. ut adeo quis frustra tali Concubinatu, tanquam matrimonio dissolubili, finem assignet procreationem sobolis conf. Hertius in Elem. Ipr. Civil. Part. II. Sect. II. §. XI. Et quā porro etiam decora sobolis educatio expectari poterit, cum post natam prolem dimittitur mater, & sāpē numero deinde pro ista licentia alia atque alia superinducitur noverca, cui proles educanda committatur? Unde & Velthemiū matrimonium quocunq; ex sua natura indissolubile esse probat ex eo, quia ordinetur ad finem, qui requirat indissolubilitatem, nimurum ad prolis educationem, quā tota vita durare debeat; conf. Introd. ad Grot. II. cap. V. Quæst. III. pag. 780. Agnovit id certe ipse Thomasius, qui in Fundam. J. N. & G. matrimonium inquit, ad dies vitæ maxime aptum est ad promovendam decoram & honestam educationem sobolis; Lib. III. cap. II. §. 17. pag. 177. Unde uti Auctor Dissert. de Concubin. ipsa DNI. Presidis sui placita de hac re in Fundamentis sibi adversari non male animadvertisit, ad §. III. lit. b. pag. 7. ita ne quicquam inde lese extricare potest distinctiuncula ista inter magis & minus decorum ac honestum, cum recte ex Osandro ad Grotium dicat Beccmannus: Si qua re abstinere honestius esse dictat ipsa ratio, ipso jure naturæ innotescit illud habere aliquam obliquitatem, id est, malam quandam moralitatem; conf. Beccmannus ad Grot. Lib. I. cap. II. §. VI. in med. pag. 123. Id quod itidem respondendum esse puto ad discursum laudatissimi DNI. Thomasi de forma conjugii secundum jus naturæ perfectiori & minus perfecta; In Instit. Iprud. Div. Lib. III. cap. II. §. 121. 122. Quā cum ita sint, per se iam concidit omnis discursus iste Domini Auctoris Dissert. de Concubin. ad §. III. lit. b. pag. 7. quo ex fine societatis conjugalis defendere conatur definitionem matrimonii Grotianæ, quam tamen ne ipse quidem Thomasius, pro sua perspicacia, ab omni errore immunem esse existimat, in notis ad Hub. Lib. II. de Jur. Civ. Sect. I. cap. III. §. 3. not. q. Præter alias enim defectus, quos ordine recenset summe Reverendus Vir, Hochstetterus, in Colleg. Pufend. Exercit. IX. §. VIII. lit.*

A 3

a. pag.



a. pag. 393. hunc quoque insignem habet, quod de perpetuitate matrimonii nullam plane mentionem injicit, eoque permitteat, ut illud solum ad tempus contrahatur. Hinc & Huberus, nescio. inquit, quid sibi velit ο μέγας, hoc commento definitionis; nisi concubinatum, polygamiam, & divortium ejus complexu protegere & velamento juris, saltē naturalis, inducere tener; de Jur. Civit. Lib. II. SeC. I. cap. II. §. 2. pag. 378. Atque his verbis insimul quoque Domini Authoris Dīscēpt. de Concubin. hanc definitionem Grotianam adprobantis & defendenris intentionem edisserit Huberus.

## §. VI.

Accedit huic rationi ex fine societatis conjugalis desumptae pro indissolubilitate matrimonii porro & hæc: Quemadmodum Lex nature conseruationem familiarum civitatumque in suo decore atque incolumente præcipit, ita quicquid huic adversatur, illud necesse habet interdicere, ut pro licito haberri nequicquam possit: Ecquid autem erit, quod & familias & civitatum decorum publicum tantum non penitus evertit, si hoc non est, sc. divortia pro lubitu frequentandi licentia, quam Concubinatus, de quo in præfens, largissime concedit? Testatur id ipsum magnus in primis vir, Pufendorfius, qui, per ejusmodi divortiorum licentiam, inquit, non possunt non & familie & publicus civitatum decor gravissime convelli de J.N. & G.Lib. VI. cap. I. §. XX. quod ne ipse quidem Thomasius negare sustinet, qui effugium hic potius querit in eo, quod legis civilis sit interesse civitatum procurare, in Instit. Jpr. Div. Lib. III. cap. II. §. 128. 129. Ratio nostræ assertionis in promtu est illi, qui secum perpendit, quicunque aliam ex alia ducat uxorem, repudiatis prioribus, eum multis impli- cari affinitatibus; lis enim contractis familiae dilatatae nimis ad vul- gum quoque ignobilem tandem deveniunt; quo factò non tantum suum amittunt decus, sed & necesse tandem habent ad incitas recidere, quia opes, quantumvis magna, si plures in partes dividantur, concisa flunt atque exigua: Cum autem familie ita distractæ per frequentata divortia prosternuntur, ecquis, putas, civitatum decor ac robur amplius supererit? Quicquid enim ornamenti, decoris atque firmamenti habent civitates, id omne profecto mutuo quasi accipiunt ab illius prioribus familis, quibus res publica aliqua ita compacta est atque composita, ut iis tanquam suis fulcris innitatur. Quapropter pru- den-

denter omnino Romulus novam civitatem *legibus conditus* instituebat, ut matrimonium esset *insolubile*, quod *omnibus* civitatibus commendat *Dionysius Halicarnassus*. Lib. II. A quo instituto sui Romuli quamprimum abiere Romani, frequentantes divortia levibus vel nullis de causis, tam primum eorum & familie & civitas maximam partem roboris atque decoris sui amisit, uti id annotat *Pufendorf de J. N. & G.L.V.I.S. XX.cap. I.* At vero excipit celeberrimus *Thomasius*, committi a nobis in hoc discursu μετάθαστρον γένος; *Leyes enim civiles* disponere de *interesse* civitatis & *decore* familiarum, eoque illud non miscendum esse cum fine societatis nuptialis; vid. *Cbr. Thomasius Inst. Ipr. Div. Lib. III. cap. II. §. 1. 29.* Respondeo nihil heica nobis misceri, sed id tantum dici, quod *Lex naturae* etiam *solicita* sit de *decore* & *incolumente* familiarum civitatumque, secundum illud generale principium *Juris naturalis*, de conservanda socialitate, ipsi *Thomasius* approbatum. Neque enim *Lex naturae* exigitur nihil disponere de statu civili, quem quippe honestum, justum & decorum esse jubet, ex eo saltem dictamine, quod *omnem* in universum statum regulas *justi*, honesti ac decori observare vult. Quæ cum ita sint, non sane miscetur interesse civitatis cum fine societatis nuptialis, sed inde hoc argumentum ducitur, quod, eo ipso, quia *Lex naturae* familias civitatesque in suo decore ac robore conservatas velit, ita attemperari debeat societas matrimonialis, ne id ipsum per eam defruatur potius quam promovetur, cum ista ordinata sit ad conservandam civitatem, cuius quippe illa est quoddam veluti seminarium.

## §. VII.

Denique si exegeris ad principium *J. N. de non ledendis aliis licentiam pro lubitu dimittendi uxorem*, annon fateri necesse habes, magnam per hanc virorum licentiam fieri *injuriam*? Fit utique magna *injuria* universo sexui foemini, qui habetur pro tam vili, ut perinde ac res in commercium venientes abalienari posit pro lubitu possessoris ac Domini; qualis olim misera servorum apud Romanos & barbaras gentes erat *conditio*; eo autem melior, quam *haec* in parte sexus foemini, qui quippe gratis ac sine pretio dimittitur. Fit insuper magna quoque *injuria singulis* uxoribus a viris suis ita pro lubitu dimissis. Præterquam enim quod *insignis contumelia* sit e matrimonio dimitti, & homines inde has illasve dimissionis causas, sat læpe odio-

fæ

sas & noxias facile suspicentur, conf. Pufendorfius in J. N. & G. Lib. VI. cap. I. §. XX. Certe plurimum nocet foeminitis dimissio, eum ejusmodi dimissam non ita facile iterum ducunt alii ex preconceppta illarum opinione, qua apud plerasque omnes gentes tanto honore atque estimatio virginitas colitur, ut foemina, de cuius nuptiis aetum est, etiam si corpore sit integro, pro corrupta habeatur; verba sunt Procopii Histor. Goth. L. IV. quibus fere confusa sunt illa Taciti; mulier, quæ multis nupsit, non multis placet; conf. Pufendorf. L. VI. de J. N. & G. cap. I. §. XX. pag. 829. col. 2. At videor mihi audire excipientem aliquem, volenti non fieri injuriam; uxores ea conditione recipi in torum, ut post tempus inde iterum emittantur; quam conditionem si acceptent foeminae, habere eas, quod sibi imputent. Enimvero *injuria* erat, hanc virum posuisse conditionem, eamque quod acceptavit foemina, id necesse habuit facere ex communi hac introducta consuetudine, quæ, uti dixi, magna cum *injuria* in sexum sequiorem conjuncta est, et coeque *jure naturæ* merito habetur mala, pessima.

## §. VIII.

Cæterum si liceret nobis esse prolixioribus, pro indissolubilitate matrimonii vi legis naturalis plurima gravissimorum virorum testimonia possemus cum eotū rationibus adducere. Sic judiciosissimus Pufendorfius ut in de J. N. & G. judicium suum suspendat, illud tñ. pro nobis edifferit in de off. Hom. & Civ. Lib. II. cap. II. §. VI. natura, inquiens, tam arctæ conjunctionis offendit matrimonium esse perpetuum. Moderatissimus JCtus, Hertius, in notis ad majus opus Pufendorfii, si cæteræ, inquit, amicitia sine gravi culpa diffui non possunt, tanto minus illa, quæ tot pignorum vinculo continetur, unde pendet honestatum propagatum educatio nobilissimi animantis; ad L. VI. Pufend. def. N. & G. c. I. §. XX. lit. a. pag. 829. quæ aliis quoque rationibus confirmat in Elem. Iprud. Civ. P. II. S. II. §. XI. pag. 36. Doctissimus vir, Huberus, arctissima, ait, illa conjunctione per quam duo in unum coaluerunt, ita comparata est, ut non recipiat separationem, neque retractari possit; Jur. Civ. L. II. Sect. I. c. IV. §. 20. celeberrimus Titius dicit ad Pufend. levitas illa divertitorum naturæ hominum sociali haud convenit; ad L. II. c. II. §. 6. not. 2. p. 507. Maxime etiam hoc pertinere videtur testimonium Joh. Schilteri, qui, divortia, inquit, mutuo quidem consensu & privata auctoritate

ctoritate etiam sine causa jure Romano fieri licuit; Novell. 22. 4. seqq.  
 Sed quum istud Juri nature & gentium non sit consentaneum, v. Pla-  
 ton. L. XI. de LL. Pufendorf. L. VI. de J. N. & G. c. I. 20. seqq. cor-  
 rexit istud Justinianus, & certas causas constituens prohibuit, mu-  
 tuuo consensu sine causa cognitione nuptias solvi; v. Novell. 117. 8. & 9.  
 & Novell. 134. II. conf. Schilteri Inst. Justin. L. I. Tit. X. de Nuptiis  
 §. XX pag. 58. Hicce JCtis calculum quoque suum adicit Morali-  
 sta & Theologus longe lateque Famigeratissimus, Hochsleuterus, hunc  
 in modum ratiocinans: vetat scinde conjugia Lex nature, quod di-  
 vortia & finem matrimonii pessimadant, & humanæ decorum socie-  
 tatis turbent; in Coll. celeb. Pufend. Exercit. IX. §. XV. lit. e. Equi-  
 dem non ignoro viros itidem gravissimos in contraria esse senten-  
 tia, ut existiment, si merum jus naturæ spectetur, matrimonium non  
 oportere esse perpetuum & ad dies vita initum, Ita ὁ Κρότιος  
 putabat divorzium tale quid non esse, ut absque lege divina, positi-  
 vam puta, nefas in eo adpareat; de Jur. Bel. & Pac. L. II. 8. 9. & in-  
 primis L. I. 2. 6. Suffragatur huic Guilielmus van der Muelen ad Grot.  
 in Comment.; ad L. I. c. II. §. VI. n. 2. Post vel potius ante hunc Vel-  
 themius in Introduct. ad Grot pro eadem sententia tandem etiam de-  
 cedit ad L. II. c. V. Q. III. Christianus Thomasius itidem hoc defen-  
 dit rationesque contrarias magnam partem dissolvere conatur in Inst. Jprud. Div. L. III. c. II. §. 118. p. m. 457. His consentit denique et-  
 iam Moralista egregius, Buddeus, in Elem. Phil. Pract. P. II. c. IV.  
 S. X. §. VIII. Enimvero, ut ab initio jam monui, non pugno cum ho-  
 minibus, quos pro eo ac par est veneror atque aestimo; Sed in verita-  
 tem nudam inquirere haec tenus fuit animus, ut adeo cum sententia  
 pugnaverim, rationibus, puto, haud contemnendis aut elumbibus.  
 Quibus firmiter nos nixi multo minus ab hac sententia nos dimoveri  
 patimur divorzia a gentibus olim frequentata, & que ac hodieque apud  
 Siamenses, prout libet, solvuntur matrimonia; v. Choisi in diurnis Iti-  
 nerarii Siamesis & Louberius de Regno Siamesi Part. II. cap. VII.  
 n. 13. Præterquam enim, quod multitudo errantium errori non pa-  
 riat patrocinium, ex ipsis quoque gentibus fuerunt non pauci, qui  
 turpitudinem cuiuscunque matrimonii dissolubilis agnovere. Hinc  
 divorzia Plato reprobavit, XI. de LL. In Insulis Fortunatia infamia  
 puniebantur, ut auctor est Grotius L. 8. Hisfor. Belg. conf. Malach.

1554.

10

*II. 14. 15. Apud Romanos divertia inter licita quidem, sed tamen non honesta habebantur. v. Valer. Maximum L. 2. c. 1. & c. 9. Apud Persas quidem libera sunt divertia, sed tamen iis rarius utuntur, & Siamenses ea pro magno infortunio habent; v. Equitis Chardini Veyage en Perse p. 129. Adde his, quæ in hanc rem leguntur apud Seldenum de Uxor. Ebr. L. III. c. XIX. p. 314.*

§. IX.

Atque hæc hæc tenus pro stabilienda ex dictamine legis naturalis indissolubilitate cuiusque matrimonii. Prolixiores in deducenda hac parte nos esse oportuit, quia, maxime exduratione temporaria, qua a matrimonio stricte sumto potissimum differat Concubinatus, vitium ejus ostendi non posse, edifferit Illustris Thomæ in Instit. Jprud. Div. L. III. c. II. §. 168. seqq. Enimvero cum hæc tenus evicerimus, lege naturæ ad matrimonium requiri individuam vitæ consuetudinem, patet, hac parte in concubinatu vitium ex rationis dictamine demonstrari posse. Abit autem hic Concubinatus, ut supra jam monuimus, a legitimo matrimonio in eo quoque, quod & excludit affectionem maritalē, & primario intendit tantum evitacionem scorbutis, sub qua tamen latet ipsa libidinis explicatio. Agedum itaque ex dictamine legis naturalis demonstramus omne matrimonium debere itidem conjunctam sibi habere affectionem maritalē & procreationem sibi primario intendere, ut inde eo magis hujus Concubinatus mala dispalecat. Moralitas.

§. X.

Quod itaque secundo loco attinet ad affectionem maritalē, uti eam a suo Concubinatu exulare jubet Augor. Dissert. §. IX. pag. 20. ita nos ostendemus eam adesse debere in omni matrimonio ex legis naturalis dictamine. Ecquid enim vel tandem affectio maritalis est aliud, quam quidem amor iste conjugalis, quem maritus uxori sua præstare tenetur? Quemadmodum enim officium istud generale est omnis mariti erga uxorem suam, ut singulari quadam amore istam complectatur, ut id edifferit Pufendorfius de Offic. Hom. & Civ. Lib. II. cap. II. §. X. Ita is ipse amor designari consuevit per affectionem maritalē, utpote qui a marito, qua talis, proficitur. In eo nimurum discriminem est amorem conjugalem inter & libidinosum, quod, cum hic a vita quopiam, propter solum concubinum-

1555.

cumbendi actum & excludendam libidinem, in mulierem non legitime  
junctam, feratur, ille e contrario fundetur in ipso statu conjugali, un-  
de propter primario intentam sobolis procreationem tenerimus qui-  
dam affectus mariti erga junctam sibi uxorem enascitur. Atque hinc  
per se jam consequitur, quod in omni matrimonio adesse debeat hic  
affectus maritalis, siquidem omnis maritus, qua talis, uxorem suam  
amare deberet, & que ac vicissim uxor maritum, cum reciproca haec sit  
obligatio. Nam rectissime docet celeberrimus Thomasius, quod in  
societate conjugali omni adesse debeat inclinatio rationalis duo cor-  
da ardissime & perpetuo secum uniendi, & casta conjunctione liberos  
procreandi, ac in liberis mutuum amorem tuum veluti concentrandi  
vel rectius amplificandi; conf. *Intrad. in Philos. Mor. cap. IX. n. XIII.*  
pag. 292. Id quod dum fit, actio ista vocari solet amor conjugalis, &  
ex parte mariti solius amor vel affectio maritalis. At vero, quid  
haec ad me? dixerit Author Dissert. de Concubin. Per affectionem  
maritalem hic ego intelligo communicationem dignitatis, qua maritus  
pollet. ad §. III. lit. g. pag. 9. Annon autem a communicatione illius  
dignitatis uxor in matrimonio alias licito ad Morganaticam excluditur,  
inque ejus rei indicium copulatio fieri solet sinistra interveniente; vid.  
*Myleri Gamalog. c. VI.* Ita est utique; sed audiat primo Dominus Au-  
thor, quod iste hic aliquem significatum assignet affectioni maritali, qui  
apud Scriptores hac dere est inauditus; cum isti non nisi amorem conju-  
galem intellectum per hanc vocem velint. vid. *Ziegleri Animadv. ad*  
*Grot. Lib. II. cap. V. §. 15.* Quodsi autem ita pro lubitu quodlibet sub qua-  
libet voce intelligere ac significare licet, quorum vel tandem res  
deveniet? Certe potestas τε διουατωνιαν ac licentia potissimum *Philoso-*  
*phie* concessa hue usque trahi non debet; sed si qua de re ad alios  
loqui velimus, stringit nos istud *Juris Naturalis*: vocabula non in  
alia significatione adhibe, quam conventum est; conf. *Thomasius in*  
*Instit. Jpr. Div. Lib. II. cap. VIII. §. 35.* Deinde, quicquid tandem  
per affectionem maritalem intellectum velit DNS. Author, ita ta-  
men comparatus est *Concubinatus*, quem defendit, ut necessario amo-  
rem conjugalem maritalemque excludat. Cum enim in tali Concu-  
binatu degens vir pro suo lubitu uxorem ductam dimittit, ecquì, pu-  
tas, inibi locum habebit maritalis amor atque affectio? Ex vero cer-  
te *Zieglerus*, cum inter qualitates *Concubinatus* etiam hanc recen-  
suisset,

fuisse, quod inibi desit maritalis adfætio, addit: maritaliter aut conju galiter amare non potest, qui tantum ad tempus amat; In Animadv. ad Grot. Lib. II. cap. V. §. XV. pag. 282. Confirmat id ipsum quoque Thomasius, qui in societate nuptiali vult, ut adsit inclinatio rationalis duo corda ardissime & perpetuo secum uniendi, si quidem rationalis quidam amor particularis locum inibi habere debeat; vid. de Arte ration. & virtuof. Amandi, cap. IX. §. XIII. XIV. pag. 292. Unde redissime summe Reverendus Vir Breithaupt hunc Concubinatum ex eo quoque impugnavit, quod inibi desit amor conjugalis; in Diss. de Concub. Prohibito §. V. pag. 8.

## §. XI.

Atque hoc quoque spectare videntur ea, quæ habentur apud Huberum, utpote qui de Concubinatu ita differit: procul hinc est illa societatis arctitudo, quæ in matrimonio desideratur; cum vix illa quam voluptatis communicatio in Concubinatu sit, qui & in eum modum inde ab initio contrahitur, ut pro libitu ac unius voluntate dissolvi queat, uti fert ultius aut etiam culic apud Romanos L. I. pr. π. de Concubin. vid Jus Civit. Lib. II. Sect. I. cap. III. §. 26. His verbis quid aliud docet Doctissimus vir Huber, quam quod amor conjugalis, sive, ut ipse loquitur, societatis arctitudo matrimonialis in Concubinatu locum habere non possit, qui quippe & dissolubilis sit, & vix aliud quidpiam, quam voluptatis communicationem intendat; Perinde ac laudatus modo Zieglerus in Concubinatu deesse scribit maritalē adfætionem, quia maritaliter aut conjugaliter amare nequeat, non tantum qui ad tempus, sed & qui propter solum concubendi actum aut explendam libidinem amat; conf. Animadvers. ad Grot. Lib. II. cap. V. §. XV. Enimvero excipit contra Huberum, qui notas ad eum scripsit, Illustris Vir Thomasius hunc in modum: Quod dicitur: Vix ullam quam voluptatis communicationem in Concubinatu fieri, id de Concubinatu Clericali forte nullam haberet dubium; at intuitu Concubinatus Ebræorum, Romanorum, imo & Germanorum docent antiquitates historicæ & documenta varia, Concubinatum a matrimonio ad morganaticam plane non differre, nisi dissolubilitate; ad Hub. I. II. de Jur. Crv. cap. III. Sect. I. lit. X. ad num. 26. Enimvero, cur tandem non nisi in Concubinatu Clericali hæc voluptatis Communicatio? omnia turpia non nisi Clero præ aliis & barbaris

1557.

baris gentibus imputare solet DNS. Thomasius, odio potius eo ductus in Clerum, quam rationibus solidis. Deinde producatur istae antiquitates historice, & monumenta varia, & alia hujus generis nos eis opponemus; Denique sufficit nobis, quod dissolubilitate differat hic Concubinatus a legitimo matrimonio, cum, uti modo evicimus, vel solam istam ob dissolubilitatem inibi adfectus conjugalis, seu societatis arctitudo matrimonio legitimo essentialis locum habere non possit. Cæterum mox in eo erimus, ut evincamus dissolubilem hunc Concubinatum nihil fere aliud intendere, quam quidem voluptatis communicationem per libidinum multiplicia exercitia, ut adeo eo ipso quoque inibi adfectus conjugalis aut maritalis exulare necesse habeat.

§. XII.

Tandem ut de fine matrimonii primario ex dictamine legis naturalis aliquid subjungamus, iste est extra omnem fere controvèrsiam procreatio sobolis. Utur enim extinzione quoque libidinis inter fines matrimonii soleat referri: pro primario tamen habetur communiter procreatio sobolis, qui quippe actus magis naturalis est, quam ille, cum in sobolis generatione & communis & singulorum utilitas obtineri queat; Hinc laudatissimus vir Thomasius, ubi in Instit. Ipr. Div. occupatus est circa inquirendo matrimonii fines, ex ratione non una sobolis procreationem tandem pro primario habet, Lib. III. cap. II. §. 71. seqq. Quod itidem quoque facit Baclerus, qui procreationem sobolis primarium finem constituit, quia ista serviat reipublicæ, in qua id spectandum sit, ut semper succrescant cives, qui Patriæ in publicis muneribus ac oneribus operam dent; vid. Instit. Polit. Lib. I. cap. II. pag. 34. Quæ cum ita sint, denuo differentia quædam insignis matrimonii cujusdam legitimia Concubinatu, de quo in præsens, nobis panditur. Nam Author Dissert. de Concubin. ut superius jam diximus, finem sui Concubinatus constituit non primario procreationem sobolis, utut eam impeditre non velit, sed evitatem Scortationis, ut id videre est §. XXVI. lir. a. pag. 50. s. sub qua latet ipsa expletio libidinis, quam quis adeo continere amplius non posse præsumitur, ut uxorem sibi adjungere necesse habeat, si quidem vagas libidines evitare velit. Atque hanc vitationem scortationis pro tertio fine matrimonii habet Baclerus in Instit. Polit. Lib. I.

cap. II. pag. 34. Quod autem propter hanc finium matrimonii permutationem ex lumine rationis impugnari possit hic *Concubinatus*, placet edifferere verbis *Thomafū* potius, quam meis, quæ huc redeunt: peccabitur utique a *concubinaria*, quod du&ltum natura ejusque fundatoris invertant, & cum conjunctionem suam ad procreandam pariter sobolem & extinguendam libidinem dirigant, illam tamen secundario saltē, & per accidens desiderent, cum tamen sciant ex du&ltu rationis eam esse finem matrimonii primarium. vid. *Instit.* 3*pr.* *Div. Lib. III. cap. II. §. 170.* Quod autem subiungit *Dn. Thomafū*, non ex omni parte nobis adprobatur, cum *Jurisp. natur.* stricte sic dictam externas actiones *potissimum* respicere statuit, vid. *LL. cc. §. 171.* secutus in eo *Pufendorfū*, qui eadem tradit in *Præfat.* ad *Lib. de Offic. Hom. & Civ. §. IX.* Sed cum *formale* omnis actionis humanæ, secundum dictamen Legis naturalis, sit *intentio*, ut id ipsi laudatissimi Duumviri admittunt, & ubique inculcant, certe inde consequitur, quod *Jurisp. Naturalis* *potissimum* circa actiones internas occupata sit easque *reficiat*; id *ex i. wægða.*

## §. XIII.

Ecquī autem pro fine hujus *Concubinatus* poterit statui evitatio scortationis, cum exercenda vagæ libidini nihil magis frenia latet, quam quidem concessa pro libitu dimittendæ uxoris licentia, quæ huic *Concubinatu* essentialis est. Nam cum inconstantes sint stimuli vagæ libidinis, qui uni objecto diu haud immorati in alia aliaque subinde ferantur, patet, quod quam optime quis hisce suis stimulis impiis satisfacere poscit, si licitum ipsi sit, dimisis prioribus suis uxoribus alias in torum adsciscere. Et quid multa sufficerint ad id probandum ipsa verba *Thomafū*, quæ ita se habent: conjugium ad dies vita maxime aptum est ad coercendam libidinem, & ad colendam honestam amicitiam cum persona diversi sexus: ac paucis interiectis: conjugatio tantum ad tempus vix meretur nomen conjugii, cum indicium sit animi vagi, libidinosi, & ad honestum amorem parum apti; in *Fundam. J. N. & G. L. III. c. II. §. XVII. p. 171.* Unde & *Titus* non male inquit: bonum finein aliquem isti divertendi licentia non temere assignaveris; in *obſerv.* ad *Pufend. de O. H. & Civ. p. 807.* Nam, ut dicam, quod res est, ejusmodi divorciis occasionem atque licentiam non dedit intentus finis matrimonii, pro creatio-

1559.

creatio scil. sobolis, utpote quæ cum *individua uxore quam optime procurari potest*, & , uti paulo ante de *Minois instituto annotatum* fuit, per frequentata divortia *impeditur magis*, quam *promovetur*; sed vaga libido potius in *causa fuisse videtur*, bux quippe fastidens *diuturnum unius uxoris usum alias aliasque delibare foeminas* gestiebat. Ita Zieglerus de *Concubin. rationem ejus*, quod non perpetuus sit, sed dissolubilis, hanc reddit, quia *cupiditas* cum tali foemina concubendi tandem tollatur; in *Animadvers. ad Grot. L. II. c. V. §. XV. pag. 282.* Unde non de nihilo esse puto proverbiū de *Concubina*, quod sit *nomen voluptatis*, quicquid etiam *Auctor Dissert. de Concub.* in contrarium adferat *§. XVI. p. 29. 30.* ad quod, si quidem per *instituti rationem* liceret, unum alterum *vene non sine specie* reponendum suppeteret. Ecquī itaque, putras, talen *Concubinatum* intendere evitacionem scortationis, uti id quidem existimat *Auctor Dissert. de Concubin. §. XXVI. p. 50.* Adeo hoc non est, ut potius *insuper quoque essentialis ei licentia dimitenda uxoris adulterii* locum faciat. *Quam facile enim fuerit, cum uxore dimissa & alii juncta, antiquos repetere amores?* verba sunt *Titii ad Pufend L. de O. H. & C. pag. 507.*

## §. XIV.

Hactenus itaque luculenter satis id probatum dedimus, quod *Concubinatus a matrimonio ex dictamine legis naturalis legitime initio differat essentialiter*. Eundem fere in modum quæstionem hanc: an *Concubinatus verum sit ac ratum conjugium?* resolvit *Vitriarius*, qui nobiscum id negat, quia *Concubinatus contrahatur tantum libidinis explende caula*; quia sit *consuetudo diuturna*, non perpetua ac *individua*; quia sit *sine affectu maritali*; vid. *Vitriarii Inflit. Jur. Nat. & Gent. cap. V. Quæſ. XXII pag. 129.* Patia lego apud *Zieglerum* numquam hactenus nobis sine laude citatum, qui, deſt cit, inquit, *Concubinatus a conjugio, non in eo tantum, quod sobolis procreandæ nullam habeat intentionem, sed etiam in eo, quod a maritali longius absit adſectu, nec perpetuum & indissoluble vitæ consortium querat.* conf. *Ziegleri Animadvers. ad Grot. Lib. II. cap. V. §. XV. pag. 282.* Cum autem a matrimonio *legitimo* ita differt *Concubinatus*, nullum amplius est dubium, quin iste *moraliter malus sit, nec umquam haberi potuerit pro interne licto.* Bene etiam &

& congruenter iis, quæ supra nos diximus, commentatur ad Grotium *Guilielmus van der Muelen*, qui, ejusmodi, inquit, Concupinatus nec in statu naturali nec Civili, justum & legitimum haberi debet conjugium, imo illicitus est, quia nullum ad explendam libidinem sobolemque procreandam, & humanum genus propagandum legitimum a summo Legislatore proditum medium, excepto conjugio in animorum & corporum conjunctione individuali, id est, perpetua, lobolis procreandæ ac mutui sibi in vicem præstandi auxiliū cœaula, consistente; vid. *Guilielmi van der Muelen Comment. ad Grot. Lib. II. cap. V. §. XV. fol. m. 220.* At vero objecerit fortasse aliquis ejusmodi Concubinatum apud integras olim gentes licentiam. Ita quidem objicit *Dn. Author* Dissert. de Concubin. §. IX. idque exemplo tum Græcorum §. X. tum Romanorum §. XI. probare faragit. Enim vero, sit interim ita; ecquid inde? an jure natura id semper licitum erit, quod externe apud homines gentiles habetur pro licto? Ipse certe *DNS. Thomasius* ridet passim in suis scriptis eæ probationes, quæ a confuerudine gentium desumuntur. Quam facile enim id erit, ut gentes integræ contra legem natura ipsis inscriptam peccent, veluti de gentibus id testatur *Paulus*, quod isti veritatem in dñia detineant, *Rom. I. v. 18. seqq.* & exempla ipsorum proh dolor! Christianorum comprobant, qui meliora sciunt, sed sequuntur deteriora. Quapropter ego quidem parum euro, an antiquitus apud ullas gentes Concubinatus pro actu turpi aut scortationis specie fuerit habitus; Sufficerit mihi id probasse, quod iste actus turpis sit, quia non est ad legis naturalis regulas matrimonialis, quod sit scortationis species, quia a communī definitione scortationis non nisi in eo est diversus, quod non sit vagus, sed cum certa persona Concubitus, quæ verba sunt *Guilielmi van der Muelen* *LL. cc. §. XV. pag. 220. col. 1.* Deinde legitur quidem apud Scriptores de gentium Concubinibus; sed hactenus quidem nemo mihi potuit ostendere vel unum locum, ubi ejusmodi Concubinatus legatur adprobatus. Ecquis autem ita argumentabitur cum coniunctione alterius: scribi historicus apud hunc populum in usu fuisse Concubinatum, ergo pro interne licto inibi fuit habitus? Praterquam enim quod in aliqua republica multa & penumero mala tolerantur; complures in veterata apud gentes antiquas consuetudines impie momorantur ab historicis, quæ tamen non semper a sapientibus

eribus

1561.

33 17 33

ribus istarum gentium *adprobatae* fuerunt, & habitæ in *conscientia* pro licitis. Ita apud Romanos divortia licita erant, nec tamen habebantur ab *omnibus honesta*; vid. *Valer. Maxim. Lib. II. cap. I. & cap. IX.* uti & ipse *Plato* divortia a *Grecis* olim frequentata improbabat *XI. de LL.* Denique cum non *unus* sit Concubinatus, quinam olim obtinuerit apud has illasve gentes, luculenter id prius docendum fuerit, quam inde ad presentis Concubinatus evinceendam licentiam fiat *conclusio*. Ut plurimum autem Concubinatus erat populis antiquioribus in *prima*, quam supra dedimus, significacione moraliter bona acceptus, qui quippe in *omnibus* cum legitimo matrimonio coincidebat, nisi quod legis *Civilis* effectibus quibusdam carebat; conf. *Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. cap. I. Lib. VI. §. XXXVI.* Ita certe in *prima* hac significacione accipi Concubinatum Illustris Vir *Kulpfus*, qui, nequam, inquit, naturali juri repugnat Concubinatus, qualis apud Romanos fuerat, aut matrimonium, quod ad *morganaticam*, *jur Linckenii* soler; tales enim similesque minus solennes conjunctiones, utut effectibus juris *civilis* careant, naturaliter tamen pro *veris* & essentialibus matrimonii debent haberi; vid. *Kulpfii Colleg. Grot. Exercit. IV. §. V. pag. 55.* adde *Strauchi ad Reg. Jur. Diff. III. §. 13, C.I. A. tit. de Concubin. n. 2. & Bacler. ad II. Grot. pag. 71.* Quod autem ad Concubinatus *Grecorum* attinet, istos non minus in *prima* Concubinatus significacione accipimus eo usque, donec nobis probetur *tertia* significatio, in qua istos ad suum institutum applicat *Dn. Autor de Concubin. §. X.* id quod sane nondum probat locus iste *Demosthenis*, qui profertur notisque illustratur pag. 21. Quod cum ita sit, concidit jam omnis discursus iste *Dn. Autoris*, quo exempla Concubinatum apud gentes olim frequentatorum pro *licentia* sui Concubinatus toto cœlo ab istis diversi urget.

## §. XV.

Hæc hactenus ex ratione & ad legis *naturalis* dictamina. Restat pro *instituti* nostri ratione ad *sacras* quoque literas, tanquam ad *infallibilem* omnis veritatis regulam, exigere hunc Concubinatum, ut exinde eo magis innescat *mala* illius moralitas, quapropter numquam pro *perfecte* licto haberri poruerit. Agebat id ipsum etiam, ante aliquot menses, profundus celebrisque Theologus, *Breithaupt*, utpote

C



1562.

ut pote qui ex dictis Sacrae Scripturæ ostendere satagit, *Concubinatum a Christo & Apostolis esse prohibitum*, in *Dissert. Theol. de Concubin. Prohib. §. III. pag. 3. seqq.* Sed multis jam annis ante egregie in hoc argumento veratus est Thummius noster celeberrimus, in *Explicat. Decalogi ad VI. Præcept. pag. 460. Quæst. V.* cui titulus: an *Concubinatus in Ecclesia N. Test. tolerandus sit?* Ut & Calovius postea *Theologice* hanc ipsam quæstionem brevibus pertractavit in *System. Tom. XI. ad Præcept. VI. Quæst. II. pag. 208. seqq.* Nos itaque tantorum vitorum vestigia in præfens legere nobiscum constituimus, argumenta *Theologica* producturi, quibus impugnari valide posit hujus *Concubinatus licentia*,

§. XVI.

Argumenta nostra *theologica contra Concubinatum præsentem* potissima *huc fere redeunt*, tñqvm ad *summam*, qvam nos contraheret jubet & præcedens *prolixitas*, & subleqvens pagellarum *angustia*. Primo, si quid contra *Institutionem divinam* est, illud certe malum est atque prohibitum, cum ea *Institutionum divinarum ratio sit*; ut ista *vim legis* habeant, si non semper ad *exercitium actus*, certe ad *speciem actus obligantis*, id quod satis *institutio sacrae Cœnae ad oculum demonstrat*. Unde & Thomasius non tantum in *Cautel. circa Iprud. Eccles. cap. V. n. 13.* facetur *institutionem divinam habere vim legis*, & *naturalis* quidem, ut nihil fiat, quod repugnet *fini primariae negotii a DEO instituti*, sed etiam de *Crim. Bigam.* pulcre docet, omnes *circumstantias negotii*, a DEO instituti, hominibus per modum *legis* esse obserandas & pro *essentialibus* habendas, modo adpareat, DÉUM in *iisdem singulare quidpiam*, & ad *negorium ipsum pertinens*, intendisse, aut *easdem ex postfacto non iterum sustulisse*; vid. *Christ. Thomasi Disput. Acad. Lipsiens. Dissert. VII. de Crimine Bigamia* §. 42. pag. 509. Et quia tandem *institutione matrimonii vim legis non habeat*, cum eam ipsam *obligatoriam esse* docet *Christus Matth. XIX.* Quod si itaque, *hoc presupposito*, inquiremus *jam in primevam Institutionem conjugii, profecto adparebit, contra illam peccare hunc Concubinatum;* Nam *Gen. II. v. 23. 24. 25.* ubi enarratur status conjugalis *institutionis*, *conjunctionis* matrimonialis *forma* in eo constituitur, ut mas sua *seminæ*, derelictis quoque parentibus, *adhæreat*, & ita isti duo sint in *unam carnem*. Ex quibus verbis, *luculententer* satis evinci poterit, quod *matrimonium omne legitimum ita insti-*

1563.

institutum sit a Deo, ut conjunctam affectionem maritalem habeat, & ut istud ad dies vita perpetuum contrahatur. Primo enim per affectionem istam, derelictis quoque parentibus, in uxore sua, equid innuitur aliud, quam quidem, ut maritus estimet unice ac solenniter uxorem suam, & amore maritali cum ea uniatur arctissime? Cum enim per affectionem istam una cum uxore sua caro evadat maritus, certe eo ipso tenuerit conjugaler amare uxorem, siquidem nemo umquam suam ipsius carnem habuit odio, sed ad eam nutritandam alendamque est obligatus. Atque hic amor est affectus iste maritalis, qui maritis erga uxores suas tantopere injungitur ab Apostolo, crebris vicibus ingeminante: mariti, diligite uxores vestras, Eph. V, 21 -- 33. conf. hanc in rem DNI. Breithaupti Dissert. Theol. de Concubin. §. V. pag. 9 seqq. Deinde ex unione ista marici & uxoris in unam carnem itidem evinci potest omnis legitimi matrimonii indissolubilitas. Qui enim una sunt caro facti, ut non amplius sint duo, isti certe eo ipso nec amplius sunt dissolubiles; Ita argumentum non tantum ex JCTorum ordine Excellentissimus Strykius, qui, identitas illa carnis, inquit, non potest separationem admittere, quia jam non amplius duplex, sed una persona moralis, una caro est; vid. Strykii Exercit. de Relig. Sacram. in matrim. cap. III. §. XXVI. pag. 100. sed etiam ex Theologis nostris Calovius, qui ita habet: præcipit illam solitariam individuam conjunctionem Dominus, Gen. II, 25. ut vir & mulier una caro sint & maneant; vid. Calov. Syst. Tom. XI. ad Praecept. VI. Quæst. III. Unde & ipse DNS. Thomasius, vi legis positivæ, in conjugi Institutione promulgata, docet, conjugium esse societatem indissolubilem, conf. Inst. Jpr. Div. Lib. III. cap. III. §. 40. seqq. uti & in Dissert. de criminis Bigamie §. XL. divortium, inquit, omne institutioni primæ. vñ contrarium est atque adversum; conf. Dissert. Acad. Lips. Christ. Thomasi pag. 805. Neque id negari potest a quoquam, cum interpretationi huic doctrinali ex ase respondeat interpretatio Christi authentica, qua habetur Matth. XIX. 2. 3. seqq. ubi Christus ad questionem: an licet homini dimittere uxorem suam qualibet ex causa? respondet id non licere, quia verbis Gen. II. vers. 24. indicaverit Deus, se ex duobus fecisse unam carnem; unde infert, conjunctionem a DEO factam non debere dissolvi; vid. super h. l. Rivetus in Gen. c. II. Exercit. XXVI. pag. 104. & Scherzerus in Brev. Hulsem. cap. XXI. ad Thes. XXV. pag. m. 1219. Quæcum ita sint, dispalecit jam, quod

1564.

20

dixi, contra *primevam* matrimonii Institutionem non uno modo peccare Concubinatum, qui quippe *excludit* affectum maritalem, & ad tempus tantum *contrahitur*, ut iterum pro lubitu dissolvi queat. Unde & rectissime a D N O. Breithaupt ex his fundamentis ille impugnatur & substitutur in *Dissert. cit. §. III. & V.* Perinde ac *primum quoque* argumentum contra Concubinatus *licentiam B. Thummius* noster desumit ex *divina matrimonii Institutione*; vid. *Explicat. Decalogi ad VI. Precept. pag. 460. Quest. V.*

§. XVII.

Rectissime itaque argumentatur *Havemannus*: Concubinatus non est conjugium; Hoe dum tantum a Deo est institutum, omnes reliquæ commixtiones extra matrimonium sunt prohibite & damnatae; *Gen. II. 13. & Matth. XIX. 5. 6. Ebr. XIII. 4. 15. conf. Havemannus Gamol. Synopt. Lib. II. §. ult. pag. 380.* Excipit quidem contra Dns. *Auctor Dissert. de Concubin. ad §. IIIX. lit. c. pag. 20.* Sed, ut mihi quidem videatur, *parum solide*, Annon enim verum est id, quod Concubinatus non sit conjugium? Conjugium definitur a *Thomasio*, quod via divinae legis positivæ, sit societas indissolubilis; vid. *Instit. Ippr. Div. Lib. III. cap. III. §. 419.* Et DNS. *Auctor Dissert. cit. Concubinatum suum describit*, quod sit societas facile ac pro lubitu *dissolubilis*; vid. §. III. pag. 6. & §. VII. pag. 18. Annon itaque verum est id, quod Concubinatus non sit conjugium? Porro hoc tantum conjugium a DEO institutum esse, pariter negari non potest? Sic enim verba *primevæ institutionis* docent, quod non nisi unius maris & unius feminæ individualia ac perpetua conjunctio haberi possit pro matrimonio legitimo, *Gen. II. 23. coll. cum Matth. XIX. 5. 6.* Unde & supra jam citatus *Guilielmus van der Muelen*, nullum, *inquit*, ad explendam libidinem sobolemque procreandam & humanum genus propagandum legiūnum a summo *LLatore* proditum medium, *excepto conjugio*, in animorum & corporum conjunctione individua, consistente; in *Comment. ad Grot. Lib. II. cap. V. §. XV. pag. m. 220.* Cum itaque non nisi unum legitimum est matrimonium, per se inde consequitur, quod omnes reliquæ commixtiones extra matrimonium sint prohibite & damnatae; Sic enim nos docet *Apostolus ad Ebraeos cap. XIII. verf. 4.* *Honorable, inquiens, conjugium esto inter omnes, scortatores autem*

&

1565.

21

& adulteros judicabit DEUS; ubi manifesta *oppositio* est inter conjugium & reliquas quascunq; commixtiones; conf. B. Thummius, qui pluribus Sacrae Scripturæ dictis probat, qd divina jura omnem extra coniugium cohabitationem omni modo prohibeant. vid. Thummi Explic. Decal. ad VI. Præcept. pag. 461. Ecqvid jam de *Concubinatu*? id, qd referendus sit iste ad prohibitas extra matrimonium commixtiones, ad quas qippe *necessario* pertinet, qvja a legitimo matrimonio diversus est essentialiter, extra matrimonium autem nulla alia licita est nuptialis societas. Unde certe stringunt textus Paulini, I. Cor. VI, 13. 15. & Ebr. XIII, 4. qvja qippe sub *scortationis* voce omnem commixtionem extra institutum a DEO matrimonium complectuntur. Neque enim id tantum pro *scortatione* habendum erit, ubi aliqua corpore *questum* facit, nec pluribus copiam corporis indulget; uti *frigide* satis meretricem describit Dn. Author Dissert. de Concubin. ad §. VI. lit. h. pag. 26. Nam styllo Scripturæ omnis cohabitation extra legitimum a DEO institutum matrimonium nomine πορνεία sensu *scortationis* venit. Unde recte DNS. Breithaupt. omnia dicta, qvibus scortatio & adulterium damnantur, toro opponuntur legitimo; ideo qve ea tam Concubinatum quemvis, quam reliquas flagitiæ species prohibit. §. V. pag. 9. Et ita suum robur constat rationi ab Havemann adductæ, quæ, uti dixi, frustra impugnatur, quasi illatio ejus deducta esset ex communi & vulgari explicatione regulæ, institutionem divinam habere vim legis: qvæ pertineat ad arcana politica Papatus, secundum ea, qvæ DNS. Preses tradat in Cautel. circa Præcogn. Iprud. Eccles. cap. V. n. 13.

§. XVIII.

Porro qvod concernit locum Matth. XIX, 3. 4. 5. seqq. is paulo accuratius sub examen a nobis vocandus erit. Proponendatur qippe imbi gravis ista qvæstio decidenda: an liceret homini dimittere uxorem suam qualibet *ex causa*? ad eam respondebat Christus, negando, qvod id liceat, qvja verbis Gen. II, 24. indicaverit Deus, se ex duobus fecisse unam carnem; unde infert conjunctionem a Deo factam non debere dissolvi: Quæritur, in quo si posita vñ arguimenti? Non una est sententia circa ejus explicationem, cum alii aliter statuant, uti id videre est apud Rivetum in Gen. cap. II. Exercit. XXVI. pag. 104. col. 1. Nobis ita videtur; major propositio continetur

1566.

22

tur his verbis: quod Deus conjunxit, homo non separat; minor: Deus conjunxit conjuges, quae probationem habet ex dictis ex Mose allegatis; Conclusio est, conjunctos ergo conjuges homo non separat, id est, talis separatio non potest vel debet fieri *ulla humana auctoritate*, sed *divina tantum*; Deus autem non vult talem separationem fieri, nisi in uno casu, ergo non licet id facere qualibet occasione; vid. Scherzerus in Brev. Hülsem. cap. XXI. ad thes. XXV. pag. m. 1719. & Calovius in Synt. Tom. XI. ad Praecept. VI. Quæst. II. pag. 211. seqq. Quid si itaque vi edicti Christi omne divortium uxoris interdicatur, certe Concubinatus peccat contra hoc interdictum, qui quippe uxorem pro lubitu statuit dimittendam. Undefrustra certe dicitur, ab Auctore Dissert. §. IIX. quod Concubinatus a Christo non fuerit prohibitus pag. 19. Si enim DNS. Auctor valide concludit pro Concubinatus licentia expensis apud Judæos divortiis, §. III. pag. 6. non minus valide pro Concubinatus interdicto argumentabor a vetitis Judæorum divortiis. At vero excipit Auctor Dissert. locum Matth. XIX. agere tantum de divortio justæ uxoris. ad §. IIX. lit. c. pag. 20. Nam existimat iste, quod in lege Mosaica tantum agatur de dando libello repudii *justæ uxori*, non autem *secundarie*, quam quippe permisum fuerit pro lubitu dimittere. vid. §. VII. pag. 19. Cum itaque Christus l. c. abroget licentiam divortiorum cum solemnitate dandi libelli repudii, concludit per consequens, nihil ibi interdicti de dimittendis uxoribus *secundariis*. Verum enim vero minime est, quod dubitemus, an libellus divortii debuerit etiam dari *secundariis* uxoribus: præceptum enim est generale, nullam speciem excipiens; vid. DNS. Dr. Breithaupt de Concubin. Prohib ad §. IV. pag. 7. lit. b. Nec est, quod hic urgeatur in dubio termino analogo absolute posito regulariter intelligi debere speciem nobilissimam, eoque agi hic de primaria uxore, non item de secundaria. vid. §. VII. pag. 19. Præterquam enim, quod valde incongruenter hoc trahatur ista interpretationis regula, aliam ei oppono, quam me docet Thomasius in tract. Jpr. Div. Lib. II. cap. XII. de Interpretatione, eo usque extendendam esse vim legis, quo usque valet legis data ratio; jam vero uti ratio legis de libellis repudii dandis *justis* uxoribus ea erat, ne ista ita pro lubitu dimitterentur, virisque ista Dei per.

permissione abuterentur ad confusione usque, conf. *Osiander* ad *Grot.*  
*Lib. I. cap. II. Thes. VI. Observ.* III. pag. 376. de ratione legis de dando li-  
bello repudii: ita certe & eadem legis ratio ad dimissio nem secundariarum  
qvoque uxorum pertinere videtur, qvas si virtutis pro arbitrio suo potuis-  
sent dimittere, qvæ, puras, brevi oritura fuisset confusio. Deinde ex  
vero ait DNS. Dr. *Breithaupt* ex *Deut. XXIV. 1. 2. 3. 4.* inteligi, nisi da-  
tus fuisset repudii libellus secundis etiam uxoribus, publicum istud docu-  
mentum cessaturum fuisse, quo deterrebantur & accipientes & dantes, ne  
istæ ad maritum primum, si nupsissent alteri, redirent, neque hi ipsas re-  
ciperent, id qvod abominatio erat eorum Jehova, qva quis faceret terram  
peccare; vid. *Breithaupti* Dissert. ad §. IV. lit. b. pag. 7. Denique mihi  
perplacat, qvæ habet *Strykii*: non dicitur, inquit, quos Deus con-  
junxit, ut ita ad personas adipicari posset, sed, quod Deus coniunxit, ut  
ita innuatitur de ipso negotio ibi agi, qvod Deus illud coniunixerit, hoc est,  
indissolubile reddiderit, non autem de personis; nam omne matrimo-  
nium, ut sic, vi institutionis divinæ est indissolubile; reliqua; conf. *Diss.*  
*Joh. Sam. Strykii de Reliq. Sacram. in matrimon.* cap. III. §. XXI.  
pag. 96. Cæterum miror certe, statuia DNO. Auctore, secundarias u-  
xores dimitti potuisse pro libitu tempore date legis Mosaicæ de libello re-  
pudii, cum tamen evincere nequeat eas tum Judæis in usu fuisse, prout  
id ipse necesse habet confiteri, ad §. VI. lit. a. pag. 14.

## §. XIX.

Denique uti i. *Cor. VII. propria sedes habetur materia de ma-*  
| rimonio, ita exinde ad oculum potest demonstrari, qvod uxor jun- |
| cta marito sit indissolubilis. Sic enim *Apostolus*, mulier, inquir, alli- |
| gata est legi, qvoad vivit vir ejus: ubi autem moritur, libera est, |
| ut nubere posfit, cui velit: cui geminum habetur *Rom. VII. 1. 2.* Un- |
| de illic concludit verl. 3. Paulus, uxorem ὅπαδεν, qvæ marito jun- |
| cta est, utpote illo vivente, lege maritali vel connubiali de perpetua |
| cohabitatione allegatam seu obstrictam esse. Ut autem vi edicti *A-* |
| *postolici* uxor non potest a viro divertiri, ita nec vir eam pro suo lobi- |
| tu vel levibus de causis potest dimittere. Nam verl. 10. hoc præceptum |
| Domini adfert *Apostolus*, ut nec vir separetur ab uxore, οὐδὲ ἀνθε- |
| nem paritatis, hujus obligationis mutuæ qværas, en! habes eam v. 9. |

eius-

ejusdem cap. ubi hæc legeris: mulier proprii corporis potestatem non  
 habet, sed vir; & maritus proprii corporis potestatem non habet, sed u-  
 xor. Patet itaque, quod *fundamentum indissolubilitatis uxoris a ma-  
 rito, & vicissim mariti ab uxore sit ardisima ista corporum conju-  
 nctio & potestas in illa reciproca*. Unde per se jam consequitur, ut fuit ab  
*initio*, sic in Novo Testamento neque admitti neque permitti unionem  
 aliam, quam quæ in unam carnem, numquam ab hominibus *separandam*,  
 coalefacat; Ut adeo inde Concubinatum ab Apostolo interdictum esse,  
 per bonam consequentiam possit erui, quoniam ejusdem proprium es-  
 sential est licentia dimittendi, seu dimissibilitas; contra præceptum  
 Apostoli, qui, uti dixi, vult, ut *omnis* conjunctio in unam carnem fiat  
*indimisibiliter*; Quapropter etiam in terminis non prohibetur ab  
 Apostoli Concubinatus, sufficit id nobis, quod κατὰ διένοιαν ab iis  
 damnetur. vid. *Dissert. Breithaupti de Concubin. Prohib. g. II. pag.  
 3.* Neque enim omnia via nominatim interdicuntur a Christo & Apo-  
 stolis, uti nec *omnes* virtutes suis nominibus insignite expresse commen-  
 dantur. At vero excipit DNS. Autor, Apostolum in recensendis ope-  
 ribus carnis *Gal. V. 19.* adulterium, scortationem, impunitatem *dissimilem*  
 memorare, nullam vero expressam mentionem παλλαξῆν facere, cum  
 tamen id videatur *opus* fuisse, cum nullum sit dubium, Concubinatum  
 & apud *Romanos* & *Græcos* fuisse si non frequentissimum, saltem non  
 infrequentem *ad. XVII. pag. 38.* Enimvero, ecquis *Apostolis* mo-  
 dum scribendi præscriperit? sub ipsa voce *scortationis* comprehendit  
 Concubinatus; Neque enim, ut existimat *DNS. Autor* *Dissert.  
 LL. cc.* putandum est, quasi illo tempore illa scortationis *extensio* non  
 dum fuisse recepta, sed haec extensio post aliquot secula *deum* orta,  
 quod est petitio principii. Nam cum Concubinatus non sit conjugium, &  
 tamen non nisi conjugium *indissoluble* ab Apostolo pro legitima habeat  
 ur conjunctione in una carne, certe illo *ipso tempore* prohibitus erat  
 Concubinatus, eoqve *comprehensus* sub voce *scortationis*, cuius quip-  
 pe species non postrema est. Unde recte *B. Thummius nosler, Ebr.  
 XI. 11. 4.* manifesta, *inquit*, oppositio est inter conjugium & reliquias  
 quascumque commixtiones: quia ergo Concubinatus non est con-  
 jugium, scortatio erit; vid. *Thummii Explic. Decal. ad Præ-  
 cept. V. Quest. V. pag. 460.* At vero nihilominus adhucdum vi-  
 detur

1569.

25

detur opus fuisse expressa παλλαχίς mentione ob frequentatos nimis Concubinatus; At quis omnes species scortationum, quæ apud gentiles in usu fuerunt, expresserit, suisque insignitas nominibus recensuerit? Mos iste est Apostolorum, ut sub generibus omnes species intellectas velint. Deinde satis expresse, puto, Concubinatus prohibetur. Cor. VII. v. 7. ubi Apostolus ad questionem: *quodnam remedium sit contra libidines?* responderet, id esse unam matrimonium indissolubile. Ubi certe prohibet alind quocunque remedium extingendi libidines, & per consequens ipsum quoque hunc Concubinatum, quem vero DNS. Author pro remedio habet ut quo quis suas restringere posit libidines & ita evitare scortationem ad. §. XXVI. pag. 50. Unde itaque contra Concubinatum sic argumentor: *Apostolus non nisi matrimonium legitimum, quod conslat conjugione in unam carnem indissolubili, pro remedio evitandæ scortationis vult, ut adhibeat, ergo frustra pro tali remedio habetur ab Auctore Concubinatus*, qui quippe insuper frena potius laxat libidini, quam quidem ut eam cohibeat & coerceat, id quod supra probatum dedimus.

### §. XX.

Atque his ex rationibns, quas nobis suppeditarunt *sacra littera*, luculenter satis innotescit, quod *juri divino* adversetur Concubinatus, eoque *numquam pro interno licto* potuerit haberi. Opponuntur quidem haec tenus dictis exempla Concubinatum in *sacris literis* passim obvia. Enimvero, ut rem a *prima origine* sua repetamus, si in *primum Concubinarium* inquiramus, is impius erat ex familia *Cainiaca* oriundus *Lamechus*, vulgo ob id ipsum *dietus* a multis *machus*: & contrario autem ex filiis Dei nullus tum temporis *Concubinam* sibi in torum adscivisse legitur. Unde & *Calvini*: de polygamia & Concubinatu, *inquit*, nihil legitur in *historia Patriarcharum* ante diluvium; in *System. Tom. XI. ad Praecept. VI. Quest. II. pag. 108.* Ut autem impii semper ostendiculo fueruero piis, ut eos sensim sensimque in *scelerum* suorum *societatem* pertraxerint: ita mihi quidem nullum est dubium, quin *exemplum* *Lamechi*, *primi Concubinarii*, lapis iste *offensionis* fuerit, quo successu temporis *ipsi quoque filii* Dei eo usque fuerunt seducti, ut, quas volebant, *promiscue uxores* duixerint, & neglectis matrimonii legitimis, non nisi per *turpes Concubinatus*

D



1570.

26

cubinatus genus suum propagaverint. Id quod quantopere Deo  
 displicuerit, saltem cognoscere licet ex severa ista increpatione ac  
 querela super hac re supremi ac purissimi Numinis, Gen. VI. 2. 3. quam  
 subsecuta tandem est diluvii poena, cum Deus, omnibus minis istius  
 insuper habitis, *conflagrantes* undique hominum libidines aquis  
 extinguire necesse habuit, Gen. VII. 17. Deinde post diluvium, ante  
 etiam legem Mosiacam, de novo frequentabatur Concubinatus, &  
 quidem a Patriarchis fidelibus. Non quasi post Lamechum, pri-  
 mum Concubinatum, Dispensatum tuisset a Deo, ut Patriarchæ  
 postea sine peccato in Concubinatu potuerint vivere. Nullam enim  
 dispensationem admittere possumus, qui statim contra legem na-  
 tura esse Concubinatum, ex communi autem sententia in lege naturæ  
 locum non habet dispensatio. Sed tolerantia erat divina, qua Deus  
 Concubinatum, tanquam peccatum in se quidem & sua natura mor-  
 tale, in ipsis viris reputavit pro veniali, ob conditionem Patriarcha-  
 rum presentem, cum isti essent in fide, neque ex intentione mala Con-  
 cubinatum frequentarent, sed ex ardentissimo potius desiderio ac-  
 celerandi adventus Messie, quem ex suo semine nasciturum ex pro-  
 missione noverant, Gen. XPI. Unde & Confitorium VVittenbergense pro  
 defensione Patriarcharum, in ter alia & hæc scriberebat olim: Es ist sol-  
 ches von denen Patriarchen nicht aus fleischlicher Lust, noch aus  
 mutwilliger Verachtung der Ordnung Gottes, oder aus Vor-  
 sag / etwas wider Gott zu thun / geschehen sondern aus sonder-  
 licher Begierde des versprochenen Weibes - Saamens an den  
 sie glaubten: sind sie demnach denen Ehebrechern nicht gleich zu  
 halten, noch auch dero selben Weiber pro scortis; de Anno 1609.  
 die 26. Septem. Cum itaque Deus videret in Patriarchis nullam  
 suis legibus contraveniendi intentionem directam, nullam meræ li-  
 bidinis desideratam expletionem, sed pius desiderium *adventus*  
 Messiani ex ardentissima fide ortum, tolerabat in iis Concubinatum,  
 perinde ac in suis fidelibus hodieque non minus quam olim multa  
 peccata in se mortalia tolerat, eaque pro venialibus habet, ob eorum  
 fidem, & bonam quandoque intentionem in ipsa incogniti peccati cu-  
 jusdam exercitio. Atque hæc sententia est Magnifici hujus Universi-  
 tatis Cancellarii, DNI. Doctoris Jaegeri, in Theol. Moral. ad Pre-  
 sept. VI. quod elegantissimum opus adhuedum sub prelo sudat;

nt

1571.

27

ut & summe Reverendus VIR, D.N. D. Pfaff. ad Synops. Thummi-anam in Supplm. nævum in Patribus admittit, & pro hac sententia multos Ecclesiæ nostræ Doctores in medium adderit, ut est Brentius in Gen. fol. 133. Luc. Osiander Comm. T. I. f. 44. 368 Gerhardus de Conj. fol. 117. & qui sunt plures alii. Cæterum DNS. Doctor Breithaupt in ea est opinione s, quod Concubinatus Patriarcharum aliorumque Israëlitarum non fuerit oppositus conjugali statui, verum inclusus: siquidem secundum regulam non aliæ mulieres illis permisæ fuerint, quam quæ conjuges aut primariae, aut saltem secundariae, verae tamen ac legitimæ essent, nimirum individua; vid. Dissert. Theol. Breithaupti de Concubin. Prohib. §. IV. pag. 6. vid. & Gerhard. Loc. Theol. de Conj. §. 555. Id certum nobis videatur esse, Concubinatum Patriarcharum, intendenter quippe pro creationem sobolis, non tantum differre à legitimo matrimonio, quantum ab eo quidem differebat Concubinatus genitilium, qui in statu infidelitatis constituti non nisi libidines suas explore intendebant, eoque à Deo tandem gravissime sunt puniti deletique ob id ipsum ad internecionem usque.

¶. XXI.

Porro subsecuta tandem legis Mosaicæ promulgatione, uti in ista Concubinarum nulla siebat mentio, ita nec amplius apud Ju-dæos in usu fuisse legitur Concubinatus; Unde & D. Calovins, in Historia Mosis ac Josuæ, inquit, nihil tale legitur, nec in Iudicum Historia; LL. cc. ad Precept. VI. Ques. II. pag. 210. Id quod ut recte agnoscit DNS. Autor Dissertat. de Concubin. ad §. VI. lit. a. pag. 14. ita male lit. f. pag. 15. afferit Concubinatum non esse prohibitum in lege Mosaicæ, quod constet ex ipsa legis inspectione. Inspectio enim legis Mosaicæ omnem extra legitimum matrimonium cohabitationem cum scemina damnatam esse ostendit, cum precepto sexto ea implicite prohibetur, quod quippe vult, matrimonium sit individualium ac honorabile, Ebr. XIII. v. 4. Quod autem attinet ad divertitorum licentiam, præterquam quod sint, qui à Mose divertium non nisi in casu adulterii concessam esse statuant, ut Tertullianus, id certum est, quod Deut. XXIV. non permisus fuerit ille libellus repudi, ut quodpiam bonum, sed propter duritatem cordis, adeoque ut aliquod malum, & in hac re juxta Augustinum Lib. de Bono conjugali cap. VIII. magis adparuit divertii Exprobatio, quam Approbatio; conf. Osiander ad Grotium ad Th. VI. Observ. III. pag. 176. Unde re-

D 2

et



1572.

28 28

Et DNS. Breithaupt. ex intentione Dei , inquit, luc etiam tenet debat praeceptio de libello repudii, ut testarentur eo , ac recordarentur, si bi ex primare conjugii Institutione hanc licitum esse divortium ad §. IV. lit. b. pag. 7. quæ certe ejusmodi sunt, ut omnia divortia sive primariae uxoris sive secundariae, sive adhuc solennitas dati libelli repudii, sive ea absit, pro malis & in se illicitis habenda esse evincant: Unde jam omnis vis argumenti istius, quod a licentia divortiorum apud Judæos pro ipsa quoque licentia Concubinatus, cuius essentiale proprium est dimissibilitas , ducitur, uno hoc i&n quasi concidit.

§. XXII.

Constitutis postea regibus denuo introducebatur Concubinatus, & quidem non nisi à Davide & ejus filio, Salomone, qui posterior, in primis multarum uxorum & Concubinarum vir fuit, quod ipsum sane causa fuit, tragici ipsius in idolatriam lapsus. Quod autem ad Concubinatum Davidis attinet, sunt non pauci, qui eum interne licitum fuisse ex eo probant, quod Deus pro beneficio reputarit datas Davidi in sinum uxores Saulis, I. Sam. XII. Enimvero ibi non agitur de traditione in matrimonium, sed de ea, quæ est in imperium atque dominium. Præterquam enim , quod incestum ita commissum fuisse Davidem sit verosimile, nullibi in sacris legitur Davidem acceptisse, seu habuisse uxores antecessoris sui in conjugio, quod nec ex eo est verosimile , quia iste tum jam grandevi erant, eoque ex cohabitatione cum ipsis parum voluptatis capturus fuisset Davides. Id pro certo adfirmare audeo, disipluiisse Deo Concubinatum Davidis, in eius pœnam Concubine Davidis ab Absolome, conjecto parente in exilium , per vim idque sub patente ecclesie impie stupratae sunt, II. Sam. XVI. 22. Cæterum in aliorum regum historia de ipsis polygamia & Concubinatu nihil invenitur.

§. XXIII.

Sub initia denique Novi Testamenti omnis polygamia, divortium omne & Concubinatus a Christo interdicebatur, qui quippe omnia ad primævam institutionem matrimonii revocabat, Matth. XIX. Contra eam autem esse Concubinatum, id quidem est, quod supra probatum dedimus Atque ita hoc ipsum quoque interdictum obtinuit in succedentibus postea seculis, unde Calovius, id dubio vacat, inquit, penes orthodoxos, sublatam esse legem repudii a Christo sibi prouocatae, laudato loco

1573.

29

loco Matth. XIX. eamque abdicationem validam fuisse in orbe Christiano quiequid sit de Pontifice Romano & Babylonica meretricis corri-  
valibus. in System. Tom. XI. ad Prec. VI. Quasi. II. pag. 211. Quodsi autem  
sublata erant divorcia, ipse certe quoque Concubinatus auferebatur, qui  
pro essentiā suo requisito habet divoriorum licentiam. Quicquid sit  
de exemplis Concubinatum in ipso quoque orbe Christiano olim ob-  
viorum, quorum plerique legitima erant atque individua matrimonia,  
nisi quod effectibus quibusdam juris civili caruerunt. Deinde hodieque  
in medio orbe Christiano ea proh dolor! fuit, quæ contra leges Christi sunt, easque a diametro violant. Denique non deficiunt tum temporis  
testimonia agnita turpitudinis Concubinatum; Præterquam enim quod  
in Jure Justinianæ pro illico habeatur Concubinatus, vid. L. un. C.  
de Concubin. & L. ult. in fin. C. commun. de manumis. & Novell. 18.  
c. 5. Novell. 89. c. 12. §. 5. l. ult. in fin. ff. de repud. l. 12 i. de verb. obli-  
gat. Sic tradit *Ius Canon.* quod 32. q. 4. ita habet: Dicatal quis, uxorem  
non habeo, & ideo ancillam mihi associavi, audi, quid scriptura dicat ad  
Abrahamum: ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit haeres filius  
ancilla cum filio libera. Si igitur ancille filius haeres non est, ergo neque  
filius est. Cur ergo queritur tale conjugium, de quo suscepimus filius nec  
successionis possit esse haeres nec sanguinis; nec habere potest haere-  
ditatis consortium; qui non habet originis privilegium, de quo  
nati filii non sunt testes matrimonii, sed adulterii.

S. XXIV.

His denique addimus consentientem calculum quoque recentiorum & Theologorum & Iurorum. Ita Facultas Theologica Lipsiensis ad  
hanc questionem: Obsrecht sey eine Concubinam zu haben, wann man  
sich zu derselben allein hält und sich mit keiner andern vermischet?  
Berichten wir so viel, daß unsres Wißens der Concubinat kein Gött-  
licher Stand ist, und deswegen kan keiner mit gutem Gewissen  
darinnen leben, sondern gehöret unter die fornicatores, von denen  
die Epistel an die Ebräer saget: c. 13. Die Hurer und Ehebrecher  
wird Gott richten. Weil es dann ist wider Gottes Ordnung,  
die da lautet: so sie sich nicht erhalten, so laß sie freyen  
(nicht aber laß sie Concubinen halten) I. Cor. VII. 9. so kan auch solches  
Keineswegs recht gesprochen werden, und mag nicht helfen, daß  
er bey einer alleine bleibe. addatur Herbrandus Comp. excus. 1553.

D 3

pag.



pag. 861. 862. dicit, ut & *Habenrefferus Comp. Theol.* pag. 609. 610.  
*Concubinatum nihil aliud esse*, quam *scortationem & adulterium*,  
*quorum utrique Deus gravissimas & corporales & aternas penas fit*  
*conaminatus.* *Vvesenbecius* in *Paratitulo de Concubinatu*, *Concubina-*  
*tum tam jure divino quam Canonico in rotum damnatum afferit.* *Mau-*  
*serus tract.* de *nupris* fol. 336. *Leo Imperator Nov. Coris.* si quoque  
*die Reichs-Abschied.* Alii, *Concubinatum turpem perso-*  
*nam dixerunt, & propter mortale peccatum, in quo existit, infamem*  
*dici posse afferunt, ac a testimonio repellendum, quippe qui Deo*  
*infidelis, non fidelis hominibus esse presumatur.*

## §. XXV.

Atque hæc haftenus de Moralitate Concubinatus. Evidet autem  
 optandum magis, quam ut magni in primis viri ejusmodi controver-  
 sias non moverent, his præsertim temporibus, cum tanta ubique  
 multitudo est Epicuræorum, quibus vix gratius quodpiam, quam qui-  
 dem de ejusmodi rebus, quas optant, licetis, annunciar potest Evangelium. Et quam facile etiam evenit, ut innocentes quoque animæ in-  
 nibus ejusmodi sermonibus seducantur, cum magnorum virorum au-  
 thoritas tot jam homines in præcipitum egerit. Vx autem, qui scanda-  
 lo sunt aliis! In eorum enim caput recidet, quod prædicti Domini-  
 nus ejusmodi hominibus, Nam ex vero ait D. Spenerus: Wann  
 man einen Menschen ärgert und zum bösen verführt, von dessen  
 Hand wird Gott des Geärgerten Eiele födern. Ja, wo ein solcher  
 Geärgter nachmahl andere wiederum ärgert und verführt, und  
 solches Ärgerniß immer weiter fortgepflanzt wird / wird vor  
 Gott die Schuld aller solcher Sünden noch immer auf den Ersten  
 Uhrheber gelegt: reliqua: vid. Speneri Lebens-Pflichten pag.  
 396. Part. II. Quibus addiraus illa Augustini: in æternum  
 STULTITIAE pena luenda est, quem falsa  
 opinio decepert.



Tübingen, Diss., 1910-13





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

EXAMEN  
PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM

Dissertationis Cujusdam  
Hallensis

D E

CONCUBINATU,  
P R A E S I D E

VIRO MAGNIFICO  
DN. JOH. VVOLFGANGO JÄGERO,  
SS. Theol. Doctore & Professore Primario, Ducis Wür-  
tembergici Consiliario Gravissimo, Universitatis Tubingensis  
Cancellario & Ecclesiæ Præposito  
Dignissimo &c.

*Defensum a Respondente*

M. JOANNE ANDREA GRAMMLICHIO,  
Stuttgard.

---

T U B I N G A E,

Literis JOH. CUNRADI REISI,

---

Anno M D CC XIII.